

AD D<sup>o</sup>. FERDINANDVM IMP.

fent autem in hanc rem conquirendi & libri Ara  
bici optimi, maximè Lexica amplissima quæ ob  
summā paupertatē habere adhuc nequui: & eo-  
rum scripta, qui in Hispania etiam Arabicè con-  
tra Ismaelitas scripsere: maximè autem, inter in-  
numeros captiuos qui in Italia, Sicilia, Sardi-  
nia, aut Hispania ex Ismaelitarum gente retinen-  
tur, & sunt iam uel Italicæ uel Hispanicæ linguæ  
periti ( quales, si quis querat, permultos inueni-  
ri non est dubium, ut erat insignis ille Ioannes Leo  
**Afer** ) sunt in libertatē uocandi, & præmijs alli-  
ciendi, ut nostrates fideliter ipsam Semihebraic-  
am linguam Ismaelitarū doceant. Si quid ego  
possem præstare aut in hac Syriaca, aut in Arabi-  
ca, non recusarem, lubentissime que etiam men-  
dicando uictum, nedum cum stipendijs in hāc rē  
collatis docerem. At reuera nil scio in utrauis lin-  
gua: sed tamen, quod ille aiebat,

— *Fungor uice cotis, acutum*

*Reddere quæ ferrum ualeat, exors ipsa secandi.*

Qualecunq; autem est quod sum aut possum, toti  
Reipub. Christianæ, maximè uero tibi uni uirtu-  
tis ergo, Regiæ autem Maiestati tuæ tanquam  
primario Regni CHRISTI ministro, in amplifi-  
cationem ipsius Regni I E S V Christi dicatum  
& consecratum cupio, uolo' que. Vale Princeps  
Deo per omnia obligatissime: & quod felicissi-  
me meæ procreationis occasione cœpisti, perge  
certam uocationem tuam faciendo diligenter exe-  
qui. Vocationes enim constare reuera non ex no-  
mine, sed ex opere, ostendit non solum qui nega-  
uerat